

munionem — dari debet. Quodsi reus admonitus nolit confiteri, utique procedi potest ad executionem, ipse enim sibi damnationem aeternam adscribere debet; alias enim quilibet justitiae cursum impenitentiam impedire posset contra exigentiam boni publici. S. Alph. n. 379.

V. Qui suprema potestate in subditos potitur, potest, quando causa criminis id postulat, reum sic proscribere, ut cuilibet liceat mortis sententiam exsequi: quare si amore justitiae id dein ab aliquo fit, non peccatur; si odio et ex privatis inimicitiis, affectu peccatur. — Quod, etsi ab hodierna consuetudine abhorret, tamen declarat supremum principis jus, e. g. contra grassatores viarum et latrones, contra periculosum usurpatorem aut seditionis caput etc.

838 At licet is, qui ita proscriptus est, ipsa sententia moneatur, ut sibi suaeque cum Deo reconciliationi provideat: nihilominus, si quis eum occisurus ab ipso rogatur, ut tempus reconciliationis cum Deo concedat, neque vult, proscriptus, modo paratus sit alias se tradere et mortem subire, videtur jus defensionis habere. Secus autem prorsus negandum est, eum cruento se defendere posse: id enim tam parum ei licet, ac reo licet, lictorem interficere. Cf. S. Alph. n. 380. 1.

VI. Quod de poena mortis dictum est, etiam dici debet de poena mutilationis. Quare solae poenae leviores a patre, magistro etc. infligi possunt propter delicta subditorum.

Caput III.

De caede hominis innocentis.

839 I. Directa intentione innocentem occidere, semper gravissimum peccatum est: quare obsides, legatos nunquam occidi licet, ne titulo quidem repressalium; neque licebit vulneratos aliosve letali dolore oppressos, ne diutius patiantur, interimere, aut utcumque datâ operâ eorum mortem accelerare. Gury I. n. 401.

II. Indirecta occisio homicidii reatum continet, si actio propter ipsum homicidium facile oritur interdita exercetur. Ita autem interdita seu illicita est omnis actio periculosa, nisi cautione periculum removeri possit et removeatur, quando exercetur sine causa tam gravi et justa, quae praeponderet illi periculo. S. Alph. n. 398.

Quare homicidii reus est, qui, tegulas a tecto demittens sine praecautione, praetereuntem occidit etc.; medicus, qui gravi negligentia vel incitia causa est, cur aegrotus, cujus curam suseepit, moriatur: de cujus obligatione cf. n. 993 etc., quando de restitutione propter homicidium agitur.

Reus non est, qui venatum ivit, etsi contra legem, et quum omnem cautionem adhibuit, nihilominus casu hominem occidit. — Neque qui persecutorem fugiens in via contere cogitur puerum, nisi velit cum mora adversario facultatem se capiendi et necandi dare. Monent tamen, puerum non baptizatum aliter baptismo fructurum non licere ita contere, quoniam ejus aeterna salus etiam cum propriae vitae dispendio procuranda sit.

III. Indirecta innocentium occisio tum maxime licita est, si intervenit causa boni publici. Quare quae ad bonum publicum necessaria sunt, agere licet, etsi plures innocentes interfectum iri praevideatur: ut tormenta bellica in bello justo contra urbem dirigere, etsi multi innocentes etiam vitae damnum patiantur.

Sic etiam innocentem, cujus vitam tyrannus postulat alioqui urbis excidium minaturus, cogere licebit, ut se tradat, saltem si subditus est, aut si nolit, eum tradere etiam cum certa injustae necis praevisione: quia ille debet bonum publicum saltem suae civitatis, aliquando etiam alienae, suo bono privato praeferre. Excipe, si agitur de homine bono publico necessario, prae cujus nece praestaret totius urbis excidium ferre. — Confer, quae notant Anton. a Spiritu Sancto tr. 8 disp. 1 n. 11—14 et S. Alph. n. 393 ex Lugo et aliis.

Postquam haec de occisione innocentis generatim breviter dicta 840 sunt, fusius tractanda est quaestio de abortu, vel potius de foetus tum praematuri tum immaturi artificiali ejectione et de ejus in utero occisione.

Nunquam licet directe abortum sensu theologico procurare, eo quod verum homicidium perpetretur, ut ex sententia hodie communiore, quae foetum quemlibet animatum animâ rationali esse docet, consequitur. — Imo etiam in aliorum sententia, qui post longius tempus a conceptione foetum rationali animâ animatum iri putant, — id quod cum S. Thoma etiam nunc complures tenent —, vix aliter dicendum est, quum homicidium, aut completum, aut, si quando minus completum, tamen anticipatum committi, nemo infitias ibit.

Verum quousque indirecta abortus procuratio liceat, aut quae sit directa, quae indirecta, non omnes conveniunt. In hac re exponenda praemittendum est, quid sit abortus. Neque ex ulla sententia multum juvat discernere inter foetum rationali animâ animatum et nondum ita animatum, tum quia tempus illius animationis accurate definiri nequeat, tum quia priore isto tempore abortus quidem sponte non raro oritur, at causa ejus inducendi habebitur longe rarius.

Praenotanda. 1. Abortus presse sumptus est *immaturi foetus* ex materno utero *ejectio*: quae aut datâ operâ patrat, aut ex morbida affectione matris causisve non semper notis sponte oritur.

Distinguitur a *praematura foetus editione*. Nimirum praemature foetus editur, si naturae tempus praeventitur quidem, sed ita, ut foetus, i. e. infans, extra uterum *vivere possit*: quod fieri potest saltem post septem menses vel triginta hebdomadas elapsas¹; quamquam infans

¹ Docti viri, qui de medica pastorali scripserunt, ut Capellmann, von Olfers etc. referunt, terminum consuetum, post quem foetus extra uterum *vivere possit*, esse 28 hebdomadas. Nihilominus id intelligunt de fundata spe, non de tanta certitudine, quae periculum pro foetu moraliter *excludat*. Nam ut hoc fiat, expectari debet terminus plus quam 30 hebdomadarum: imo *sine causa* plus minusve gravi partus artificialis inducendus non est ante trigesimam quartam hebdomadam. Ita praeter laudatos scriptores etiam Vierordt *elementa physiologiae hominis* seu „*Grundriss der Physiologie des Menschen*“ n. 584, Horwitz *partus artificialis* („*künstliche*

sic editus debilior est et saepe per totam vitam suam manet. Unde patet, praematurum partum, quum foetui non inferat proprie malum positivum, sed tantum in illius minus bonum tendat, posse prorsus aliquando intendi et induci, eumque omnino distinguendum esse a partu immaturo seu abortu.

2. Mater ex uteri gestatione in periculum mortis aliquando induci, aut periculum aliunde existens ex ipsa uteri gestatione multum augeri potest, ita ut ejecto foetu periculum aut cesset aut multo minus evadat. Videlicet aliquando ex morbo mater periculose decumbit, a quo facilius curaretur, si gravida non esset; aliquando ipsa uteri gestatio causa morbi est; aliquando mater per foetum, si evolutus erit, in ejus partu in periculum grave inducitur, utpote quem propter arctitudinem parere non possit.

⁸⁴¹ **Principia.** I. Foetûs, qui vitae extra uterum jam capax est, ejectionem, seu partum praematurum inducere, ex gravi causa licet, imo pro circumstantiis id fieri debet: si videlicet iudicio timorati medici constat, matrem tam arctam esse, ut foetum evolutum suo tempore parere non possit, possit vero saltem post 28 hebdomadas gestationis uteri, vel melius etiam, si possit aliquot hebdomadas ulterius exspectare, donec vita infantis etiam praemature edendi extra periculum posita est.

II. Foetûs etiam immaturi ejectionem, seu abortum, ejusve periculum *indirecte* tantum causare, non est illicitum, si de gravi seu letali morbo matris curando agitur. Nimirum si morbi conditio remedia quaedam *exigit*, quae directe tendunt in morbidas matris affectiones tollendas, ea adhibere licet, etsi simul secum ferant abortûs periculum, si modo, quantum fieri possit, cautio adhibeatur. Id enim sequitur ex principiis de voluntario indirecto.

III. Ex consulto abortum inducere, etiam licere videtur in *praesenti* vitae maternae discrimine, quod per solam foetûs immaturi ejectionem averti possit: quo in casu vix magis erit *directa* abortûs procuratio sensu theologico, quam in naufragio tabulam amico cedere est *directa* sui ipsius occisio. (Eodem modo, si ejectio foetûs necessaria esset ad ejus baptismum, haec *indirecta* occisio, seu potius mortis *indirecta* acceleratio, videretur esse: sed id vix unquam occurrerit.)

IV. Non vero licita est unquam operatio, quam craniotomiam, cephalotripsiam vocant, qua foetus in utero conciditur, antequam de ejus morte constet.

V. Quum vero haec res sine Ecclesiae iudicio non ita plana et evidens sit, accidere potest, ut medicus bona fide¹ hanc operationem adhibeat, quando conditio matris aliter desperata est. Quo in casu

Frühgeburt“.) — Verum si extraordinaria media fovendi et alendi foetum praesto sint, referunt aliqui, etiam in partu ante 28 hebd. facto prolem posse servari: quod sane periti medici, qui adfuerit, iudicio relinqui debet.

¹ Difficilius tamen nunc post responsum S. Officii, quod n. 848 communicatum habes, illa bona fides invenietur.

sacerdotis prudentiae est videre, utrum praestet eum monere, an silendo rem transmittere, si modo medicus omnino curet, ut foetus, antequam concidatur, ope instrumenti in utero materno baptizetur: — praesertim quum damnum in illis adjunctis re ipsa non solum non sequatur, sed maximum eliciatur bonum, ita ut et vita matri salvetur temporalis, infanti aeterna vita fere moraliter certo conferatur; omissa autem craniotomia, et mater et infans probabiliter temporaliter perituri sint, neque infans aeternam vitam certius sit adepturus. Quamquam haec omnia rem in se licitam non reddunt.

Explicatio. Ad I. nota: In statu matris, quem sumimus, scilicet quando ⁸⁴² mater, expectato termino naturali graviditatis, foetum evolutum parere nequit: aut 1) mater doloribus et inani partûs conatu peribit — quo facto, etiam magnum periculum est, ne infans jam emortuus sit (v. Capellm. ed. lat. *medicae pastoral.* pag. 23) —; aut 2) caesarea operatio facienda est, quae testibus medicis pro matre est fere semper valde periculosa, pro infante majorem vitae spem relinquit; aut 3) craniotomia fiet cum certa infantis vitae temporalis jactura, nec sine probabili matris periculo; aut 4) maturior partus est arte inducendus, atque ita pericula praecavenda sunt. Ex quibus ultimum eligi *debere*, si infans extra uterum vivere certo possit, — generatim post plus quam 28 usque ad 34 hebdomadas uteri gestationis — evidens est; eligi *posse*, etsi prolis vita non extra omne periculum posita sit, modo fundata spes pro ejus incolumitate existat, nemo facile negaverit.

Ad III. 1. Quando mater in praesenti vitae discrimine versatur, quod aliter auferri nequit, nisi *immaturi* foetûs ejectione, adeoque *abortu* arte inducendo, quo fit, ut foetus, quamquam vivus in lucem editus, brevi emori debeat: multi id aequaliter illicitum esse putant, ac foetûs directam occisionem; aliis autem id non videtur *directa* occisio, sed modus valde diversus, quum mater solummodo non amplius servet infantem, sed eum, laxatis fibris, ex utero elabi sinat, atque ita perire permittat. (Cf. Capellm. *medica pastor.* cap. A. I., von Olfers l. c. p. 16 sqq.)

Cessare posse matrem a *conservando* foetu, si sine propriae vitae dispendio eum conservare non amplius possit, cuilibet certum esse debet. At si hoc principium per se clarum in praesenti re applicare volumus, difficultas in eo reperitur, quod in ejectione foetûs generatim aliquid amplius committi videatur, nimirum ut prius v. g. punctione membranae liquor amnii, quo foetus circumfunditur, dimittatur, aut alio modo conditio naturalis violenter perturbetur atque post talem violentiam tandem ipse ex utero egredi et vitalem nexum cum materno utero abrumpere cogatur, mox moriturus.

Nihilominus etiam haec circumstantia videtur non obstare, quominus ⁸⁴³ id licite agatur ad salvandam matrem alias perituram. Ratio autem quaeri debet, quae hanc invasionem in foetum ejusque vitale elementum licitam esse ostendat. Per se nimirum foetus ad illud elementum vitale, inexistens in utero dico, jus habet, quum natura hoc pro ipso condiderit. At potestne fortasse in illis circumstantiis jus illud alio jure priore, i. e. matris, vinei, vel si mavis, potestne foetus huic juri suo renuntiare, et, si potest, estne dicendus reipsa renuntiare? Quod sane videtur. Nam si fas est hanc existentiam foetûs in utero considerare ut bonum foetui *extrinsecus*

ad vitam necessarium: foetus huic bono 1) *potest* renuntiare in favorem maternae vitae, fere sicut in naufragio amicus amico tabulam cedere potest, se ipsum undis committens atque mox periturus; atque 2) *revera renuntiare dicendus est*, quia in illis circumstantiis jus illud sibi evadit plane inutile, quippe quod a certa morte se non defendat, imo si ad supernaturalem finem respicimus, aggravat periculum *sine baptismo* decedendi, qui, abortu secuto, foetui applicari potest. Si vero considerari debet illa existentia in utero tamquam elementum *intrinsicum* cum foetu ejusque vita conjunctum: tamen id, quod primo et per se invaditur, non est ipse foetus vivens, sed aliquid, quod pari jure matris esse dixeris, quam foetus, atque hujus jus ut collidens cum jure matris precarium videtur evadere, sicut jus ad communem aërem, si fingas casum, in quo pro me et socio a me recepto aër jam non sufficiat.

844 2. Verum suntne haec applicanda ad casum illum, quo mater tanta laborat arctitudine, ut foetum, nedum evolutum, sed nec utcunque vitae extra uterum capacem edere possit? Ille casus sane frequentior est, alii rariores. Difficultas autem ea quae dicta sunt ad hunc casum transferendi ex eo oritur, quod 1) restet demum postea aliud medium operationis caesareae, et quod 2) mater nondum in *praesenti* vitae discrimine versari, sed postea in eo versatura videatur: maxime quum exempla non desint, quae ostendant, naturam peritissimos medicos fefellisse, et matrem, quae tanta arctitudine videbatur laborare, tandem naturaliter infantem edidisse.

Ut dicam, quid sentiam: 1) Sectionem caesaream, ut infantis vita temporalis probabiliter servetur (si modo *supernaturali* vitae cavetur), mater sustinere rigore non tenetur; est enim testibus medicis semper pro matre valde periculosa: *magnum* autem periculum vitae propriae pro aliena vita servanda temporali, nisi aliud quid accedat, nemo tenetur. Cf. Capellm. l. c. cap. A. I. in fine; Horwitz quoque op. cit. pag. 81 magnum periculum in caesarea operatione adesse testatur. Verum si per abortum, qui inducatur, mater in periculum vitae non multo minus conjicienda sit, certe caesaream operationem subire potius debet, utpote quae spem salvandae prolis magnam relinquat. — 2) At si reapse, spectatis conditione matris atque aliis adjunctis, periculum caesareae operationis longe gravius est, quid liceat? Nimirum discrimen vitae pro matre nondum praesens quidem est, si non certo constat, eam nimia arctitudine affectam esse; quare medici in judicio ferendo non temere, sed religiosissime procedere debent. Hinc videri debet, num terminus septem mensium exspectari possit, aut, quando occasio artificiose fovendae prolis adest, sex mensium aetas. Sed si tandem constat, ne illum quidem terminum exspectari posse, puto, quum primum constiterit, foetum eo usque crevisse, ut ulterius incrementum fatale pro matre evadat, licere abortum induci, antea plane non licere. *Sic* consentio iis, quae von Olfers l. c. p. 17 sqq. exponit: nam revera ab illo momento incipit foetus pro matre fatalis esse; foetus autem videtur tam parum jus inviolabile habere existendi in matris utero cum ejus vitae periculi *magna aggravatione*, quam cum ejus vitae certa jactura — modo tamen post foetus immaturi ejectionem baptismi conferendi saltem aequae certa sit spes, atque esset, si terminus naturae exspectaretur.

845 3. Si vero alii morbi matrem inducant in praesens vitae periculum, et foetus ejectio ad salvandam matrem conducere videatur: *primo* alia remedia, quae spem salvandae matris faciant, adhiberi debent; quae si in-

efficacia fuerint, *dein* induci potest, ut antea, foetus ejectio, si *fundata spes* est matris alias verisimiliter periturae salvandae. Nimirum et has conditiones necessarias esse, nec plus requiri puto, quia si mater pereat, certo certius etiam foetus peribit ante tempus; adde, eum ita periturum, ut spes baptismi minor evadat, siquidem periculum est, ne in utero materno extinguatur. Quare — ut sileam de jure foetus in utero permanendi plane inutili — habes hic ex acceleratione partus duplicem effectum, unum aliquatenus malum, videlicet mortis foetus accelerationem, bonum alterum, i. e. periculum maternae vitae sublatum et possibilitatem cum magna probabilitate conferendi baptismi, utrumque effectum aequae immediatum, ex quibus bonus longe superat malum. — Haec sunt, quae immaturum partum, quando necessarius evadat ad salvandam matrem, licitum esse suadent. Ceterum in re adeo difficili rationes illas proposuisse sufficiat; num rem evincant, aliorum judicio relinquo.

4. Possintne autem contingere, et quando, ut conditiones, quas dixi necessarias esse, adsint, medicorum est discernere. Et quoniam saepe non habetur omnimoda certitudo de statu matris sive etiam foetus plane desperato, medici sane diligenter et omnino accurate circumstantias expendere debent: verum etiam morali aestimatione debent esse contenti, ne tum tandem cogantur remedium tentare, quando nullum amplius remedium jvaturum est. Temere autem, i. e. propter aliam causam quam propter *necessitatem* salvandae matris haec committere, certe scelus est gravissimum.

5. In omnibus illis casibus, in quibus probabile esse putavi, licere 846 foetus etiam immaturi partum accelerari, abortus procuratio *sensu theologico* non habetur. Haec enim intelligitur de illa ejectione, quae *morali* sensu sit foetus occisio; verum foetus occisionem perperam aliquis dixerit eam operationem, quae potius mortis permissio vocari debet.

6. Inter causas peccaminosas, ob quas gravissimum scelus fuerit abortum procurare, praecipue habetur causa tegendae famae matris ex crimine gravidae, vel ut liberius libidine fruatur: quod sane communi homicidio eatenus etiam pejus est, quatenus et temporalis vita et aeterna — siquidem qui hoc flagitium perpetrant, baptizandum foetum vix curant — infanti adimitur, atque relate ad matrem homicidium est qualificatum, gravissima pietatis violatione accedente. Neque haec in re gravissimum matris damnum, infamia summa, perpetua cum parentibus discordia, pro ratione excusante haberi possunt. Evidens enim est, haec mala *consequenter* ad abortum vitari, seu hunc vitandorum malorum effectum, utut bonus sit, sequi non aequae immediate atque effectum malum, sed *ex eo*: quod si constat, de licitate causandi effectum malum jam agi nequit, sed talis actio ab ipso limine ut evidenter mala rejicienda est. — Simile quid fatendum est, si medicus abortum procurare audeat, ut doloribus matris in partu sustinendis parcat, aut omne periculum futurum vel probabile praecavere impius nitatur.

7. Non semper quidem, aliquando tamen — idque caute, ne interrogatio doceat, quod ignoretur — puellae ex crimine gravidae interrogandae sunt de abortu, ejusve tentamine: balneis, uteri percussione,

compressione, potius certi sumptione etc.; item amasii de consilio hac in re dato.

847 Ad IV. et V. 1. Ejusmodi medicorum operationes, quae directe foetum invadant eumque vita privent, non solum in statum et locum ejiciant, quo vivere non amplius possit, ab ipsa directa occisione dissidere non puto. Neque hic applicari possunt principia de voluntario indirecto, quia effectus malus, sc. foetus extinctio, prius producitur atque post eum et per eum possibilitas matrem liberandi. Verum prima conditio, sub qua liceat causam et boni et mali effectus ponere, est, effectum bonum saltem aequae immediate sequi, atque effectum malum, seu non mediante malo.

2. Rationes, quas aliqui pro craniotomia in extrema matris necessitate defendenda proferunt, vix non reducuntur ad hoc unum: foetum esse vitae matris aggressorem innocentem quidem, sed objective injustum; quare sicut alias liceat contra aggressorem eruenda defensione uti, ita etiam hic licere foetum perimi; atque sicut multi dicunt, aggressorem necari nihil esse, nisi *indirecte* eum occidi, ita etiam hic occisionem foetus indirectam tantum committi.

3. Antiqui scriptores bene multi (v. Anton. a Sp. S. tr. 8 n. 28) hoc principium statuunt pro foetus „nondum animati“ abortu, quando per foetum matris vita periclitatur; at quando transeunt ad foetum animatum, expresse negant, principium aggressoris repellendi applicari posse. Recentiores — iique vere magis sibi cohaerent — idem, quod in priore casu liceat, etiam in posteriore licere censent, modo, quantum fieri possit, per baptismum infantis aeternae vitae consulatur. Et revera scriptor modo laudatus (Ant. a Sp. S.) rationem, cur non liceat ad salvandam matrem abortum inducere „foetu jam animato“, hanc reddit: „quum foetus sit aggressor involuntarius, et in peccato originali, tenetur mater mortem potius temporalem pati, quam animam illius perdere“. At negaverit aliquis suppositum, quasi ex abortu sequeretur nostris temporibus impossibilitas baptismi.

4. Verum principium illud de repellendo aggressore in illis circumstantiis certe applicatu difficile est. Nam 1) eodem jure aut potiore dicere possum, matrem esse aggressorem vitae infantis, quando videlicet naturalis ejus arcitudo obstat, quominus infans maturus in lucem prodeat; 2) si ex foetu in materno utero existente matris morbus aggravatur et fatalis evadit, eodem fere modo aggressor vitae matris est, sicut aliquis, cujus societatem evadere nequeo, peste affectus vitam meam invadit: at talem hominem certissime nequeo occidere, et dein abjicere; summum potero ipsum, etiam praevidens, eum moriturum esse, domo expellere, si possibile est; sed letale vulnus ei infligere, antequam expellatur, non licebit unquam. — At simile quid videtur fieri in craniotomia infantis.

848 5. Res ut absolute illicita exhibetur a Patribus Concilii provinc. Baltim. X. Americae Septentrionalis (in literis encycl.: v. Coll. Lac. t. 3 col. 1280): „Neque ulli unquam matri, quaecunque res inciderit, fas est mortem utero inclusi foetus permittere, ne ut propriae quidem vitae consulat.“ Quod intelligo de consensu matris in craniotomiam. — Tandem habemus responsum *S. Officii* d. d. 31. Maji 1884, quo contraria doctrina, craniotomiam licere, ut non tuta, prorsus rejicitur. En et *Quaesiti et Responsi* verba:

„Eminentissime et Reverendissime Domine!

„Eminentissimi PP. mecum Inquisitores Generales in Congregatione „generali habita Fer. IV. die 28. labentis Maji, ad examen revocarunt du-

„bium ab Eminentia tua propositum „An tuto doceri possit in scholis „catholicis, licitam esse operationem chirurgicam quam craniotomiam appellent, quando scilicet eam omissam mater et filius perituri sint, eam e contra „admissam salvanda sit mater, infante pereunte?““ Ac omnibus diu et mature perpensis, habita quoque ratione eorum quae hac in re a peritis viris „catholicis conscripta ac ab Eminentia tua huic Congregationi transmissa „sunt, respondendum esse duxerunt: *Tuto doceri non posse.*

„Quam responsionem quum SS. D. N. in audientia ejusdem Feriae ac „diei plenè confirmaverit, Eminentiae tuae communico, tuasque manus humillime deosculor.

„Romae, 31. Maji 1884.

„Humillimus et addictissimus etc.

„R. Cardinalis Monaco.

„Eminentissimo Archiepiscopo
Lugdunensi.“

6. Si quibus vero hoc responsum ignotum manserit, inter eos existere posse, qui bona fide sint circa contrariam opinionem, eo facilius admitto, quia non solum internis rationibus scriptores inter se dimicabant, sed ipsa S. Poenitentiaria hac de re interrogata: „An unquam liceat operatio, quae vocatur craniotomia vel similis operatio, quae per se directe tendit ad occisionem infantis in utero positi“, die 28. Nov. 1872, mature perpensis expositis, responderat: „Consulat probatos auctores sive veteres sive recentes, et prudenter agat.“

7. Etiam id iterum moneo, a medicis serio considerandum esse, 849 sitne sectio caesarea revera notabiliter magis periculosa pro matre, quam aliae operationes, praesertim quam craniotomia post proliis mortem dilatione secutam. Quoniam enim etiam haec operatio non leve periculum matri creat, sane censeo, matrem debere prae ista sectionem caesaream pati, quando ex ea periculum non adeo aggravatur, quia cum periculo propriae vitae non adeo multum aucto consulere debet et proliis vitae temporali, et ejus aeternae vitae per certius baptismum majori securitati. Hinc in casibus re ipsa occurrentibus et medici dexteritas atque experientia comprobata, et matris robur ejusque matura admonitio et praeparatio perpendenda sunt, ut statuatur, quid fieri liceat, quid expediat, vel oporteat. Nam certe nemo est, qui aequae periculosam censebit operationem caesaream, quando in aliqua regione e 100 matribus circiter 30—40 pereant, et quando — ut in Italia consuevit fieri — e 100 succumbant 80 et ultra.

8. Cognata cum abortu quaestio est, num liceat feminae vi oppressae semen virile exceptum adhibitis mediis *immediate* expellere. Dico: feminae vi oppressae; alias enim certum est, id non licere, quum malitia frustratae naturae in illa actione tum utique insit. Verum feminae vi oppressae id licere, mihi certe probabile est, siquidem ad semen virile excipiendum ipsa injuste coacta est, imo injuria illa vim suam exercere pergit: quare vim illam injuste continuatam seminis ejectione repellere potest. Neque hic periculum aliquid contra foetum forte conceptum committendi existit; nam vix probabile est, *statim* post copulam foetum concipi, et si revera, quando tentamen ejiciendi

seminis fit, conceptio facta esset, merus conatus expellendi seminis foetum non laederet. Verum aliquid ultra facere, e. g. quod tenderet in ejiciendum vel necandum foetum forte conceptum, statim a primo tempore post copulam plane est illicitum.

Caput IV.

De duello.

850 1. Duellum dicitur pugna singularis, ex conducto, armis ad occidendum sive graviter vulnerandum aptis.

Nimirum 1) est pugna unius contra alterum, seu singulorum contra singulos; 2) pugna, quae armis periculosus suscipitur, non sola virga vel baculo ad letaliter laedendum inepto; 3) pugna *ex conducto*, quo distinguatur a defensione et a rixa ex improvise (saltem relate ad alterutrum) oriunda. Conductio autem fit de tempore et loco (aliter impossibile est ex conducto convenire), et per se etiam de armis. Attamen si in ipso loco conducto etiam electio armorum detur, duelli essentia non mutatur. Cf. etiam Greg. XIII., qui Const. infra cit. dicit: „omnes qui ex conducto, *statuto tempore et in loco convento*, etc.“

2. Duellum dicitur aut *publicum* aut *privatum*, prout suscipitur ex publica auctoritate aut privato nomine. — Alia distinctio duelli solemnis (i. e. cum testibus) et simplicis est omnino accidentalis.

I. Duellum publica auctoritate susceptum propter bonum commune licitum esse potest; illicitum tamen ex causa vana vel improporcionata.

II. Duellum privata auctoritate susceptum — praecipue, ut fit, honoris vindicandi causa — juri naturali et canonico graviter repugnat.

III. Neque excusatio est ex parte duelli, quod ineatur ad primam sanguinis effusionem tantum, vel ad certum ictuum numerum; aut ex parte causae, quod, nisi quis suscipiat, officium cum gravi jactura bonorum dimittere cogatur ipseque pro infami habeatur.

IV. Sola igitur ratio, cur singulare certamen aliquis propria auctoritate suscipere potest, est defensio contra injustum aggressorem, quem aliter evadere nequit: sive jam aggredi actu incipit, sive minas inevitabiles infert, nisi cum ipso configatur.

851 **Uberior explicatio.** Ad I. 1. Justa causa duelli solum bellum justum est, aut ut finiatur, aut ut hostium provocantium insolentia frangatur, propriique exercitus existimatio servetur apud hostes, apud proprios animus. V. Gury-Ball. I. 404 ex Sanch. *in decal.* l. 2 cap. 39 n. 13. et 14.

Videlicet causa publica contra hostem judiciali sententia fini nequit; quare nihil restat, nisi ut per pugnam finiatur; at si totus exercitus pugnare potest, loco omnium etiam singuli eligi *possunt*. Nihilominus dux ex alia ratione temere id committere nequit, ne videlicet certam spem victoriae cum dubio prorsus exitu singularis pugnae commutet.

Verum aliae causae, utpote quae legitimo judicio fini *possint*, illicite prorsus ad duelli tentamen ejusque exitum relegantur.

2. Auctoritas publica duellum imperare aut permittere nequit ostentationis causa, spectaculi causa; neque jussi configere possunt (nisi forte, uno aggrediente, ex parte alterius evadat justa defensio).

3. Si duobus reis juste capitis damnatis facultas detur duellandi, sub promissione victori vitam condonandi: id ex parte auctoritatis publicae ratione scandali, et quod finis imperandi inhonestus vix abesse potest, illicitum dicendum est; ex parte reorum tamen illicitum non est, quia occidere et occidi licite possunt ratione justitiae vindicativae, neque spes servandae vitae id reddit illicitum. Neque tamen ipsi rei duellum suscipere tenentur, quum in se ipsos sententiam exsequi juberi non possint.

Ad II. 1. Prohibitiones canonicae quam plurimae exstant. Cf. 852 Trid. sess. 25 *de ref.* cap. 19, Greg. XIII. Const. „*Ad tollendum*“ a. 1582, Clem. VIII. Constit. „*Illius vices*“ anno 1592, Ben. XIV. Constit. „*Detestabilem*.“

In qua Bulla „*Detestabilem*“ anno 1752 sequentes theses proscrispsit:

1. „Vir militaris qui, nisi offerat et acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitae ac promeritae spe perpetuo carere deberet, culpâ et poenâ vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.“

2. „Excusari possunt etiam honoris tuendi vel humanae vilipensionis vitandae gratia duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.“

3. „Non incurrit ecclesiasticas poenas contra duellantes latas dux vel officialis militiae acceptans duellum ex gravi metu amissionis famae vel officii.“

4. „Licitum est in statu hominis naturali acceptare et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio eorum jactura propulsari nequit.“

5. „Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatae, in qua nimirum vel negligentia vel malitia magistratus justitia aperte denegatur.“

2. Ratio autem interna, cur duellum privatum nunquam liceat, est haec: aut medium *natura sua ineptum* est ad finem propositum, aut effectus malus, i. e. occisio hominis evidensque vitae periculum, semper magis immediate ex suscepta actione sequitur, quam effectus bonus, qui *mediante* illo periculo audacter tolerato, atque mediante prava aliorum hominum aestimatione sequitur. Atqui conditio, quae omnium prima requiritur, ut possim ponere actionem duplicis effectus et mali et boni, haec est, ut effectus bonus saltem aequae immediate sequatur atque effectus malus, vel non mediante isto.

Ad III. 1. Duella, quae vocant „non fatalia“, communiter ne a gravi quidem periculo immunita sunt: neque satis cavetur, si pugnantibus thorace aliove operimento se induunt. Imo haec sola ratio, quod illa duella natura sua dent occasione duellis magis periculosus, sufficit, ut ipsa lege naturali interdicta esse censeantur. Verum si quod dubium maneat, id certissimum